



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Croesvs Et Codrvs. hoc est, Copiæ Et Inopiæ Damna vel  
Lvcra, à bono iustoq[ue] Mundi Governatore Deo  
Distribvta**

**Stengel, Georg**

**Ingolstadij, 1648**

§. 4. Regnum cælorum à pauperibus aperiri, dum alios ad misericordiam  
mouent.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52359](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52359)

D. Gre-  
gor. Na-  
zianz. in  
orat. de  
amore  
pauperū.

Sebast.  
Munster.  
lib. 2.  
Cosmog.

currat Deus. Nam si audiueris, audieris. Illi enim tecum orabunt, quia pro te. *Ita petitionū clamor*, ait D. Gregorius Nazianzenus, *internis templi cantibus ex aduerso respondet, atq; è regione mysticarū vocū miserabilis luctus excitatur.* Sic ergo pauperum est regnum cælorum, vt illud alijs quoque impetrent, quorum orationi pondus addunt; & cum illis velut canes quidam venatici, cælum venantur, quemadmodum B. Amadeus Sabaudia dux dicere solebat.

## §. IV.

*Regnum cælorum à pauperibus aperiri, dum alios ad misericordiam mouent.*

Sed altero quoque modo vim habent, vt recipiant diuites in æterna tabernacula, qui se eorum ærumnis passi sunt moueri, vt fierent misericordes, & diuitias suas per eos, ante se, in cælum, præmitterent, per elemosynam, quia *ipsa est quæ purgat peccata, & facit inuenire misericordiã, & vitã æternam*, ait Archangelus. Et Dauid: *Beatus qui intelligit super egenum & pauperem, in die mala liberabit eum Dominus.* Qui, licet sit iudex æquissimus, tamen hac pecunia se sinit placari, quæ per manus pauperum ad eum transmissa ex iudice patronum facit. Siqui-

Tob. 12. 8.

Psal. 40.  
1.

dem, vt aureum os loquitur. *Hac Christi  
astat tribunali, non tantum patrocians, verum  
& ipsi persuadens Iudici, ut reo patrociniū pre-  
stet, & pro eo sententiam ferat: & licet milles  
peccauerit, coronat, & victorem promulgat.*  
Propertij versus est.

*Hand ullas pertabis opes, Acherontic ad  
undas,*

*Nudus ad infernas, stulte, vehere rates.*

Quam vellent res suas secum tollere diuites  
cum moriuntur? Sed, præter vilem pannū,  
aut vestes exiguas, mox à putredine atque  
vermibus consumendas, nihil hinc secum,  
auferre sinuntur; nec, si sinerentur, prodes-  
sent. Est tamen vnus ille modus, quo, quid-  
quid volunt, vtiliter possunt, per manus  
pauperum, ad cælestes thesauros transmit-  
tere, si quidem egentibus non pigeat com-  
mittere. *Patrimonium Deo creditum, ait S.  
Cyprianus, nec fiscus inuadit, nec calumnia  
aliqua forensis euertit. In tuto hereditas poni-  
tur, que Deo custode seruatur.* Quo pacto Ri-  
badeneira scribit, S. Catharinæ Senensi ali-  
quando Christum apparuisse, ei que crucem  
argenteam exhibuisse (quam illa, cum  
aliud ad manum non haberet, pauperi de-  
derat) atque adiecisse, se illam olim in ex-  
tremo

S. Chry-  
sost hom.  
33. ad pop.

Propert.  
lib. 3.

S. Cypr.  
tract. de  
opere &  
eleemo-  
syna.  
Ribaden.  
in vita S.  
Cathari-  
næ.

tremo iudicij die toti mundo ostensurum. Vsq̄ue adeò non perdita illa erat, sed serua-  
ta. Quemadmodum illa eleemosyna, quam  
D. Gregorius refert, à pia quadam muliere  
datam. Illa enim, cùm duobus martyribus  
peregrino habitu apparentibus stipem pro-  
more suo porrexisset, in gratiarum actione  
hæc ab eis verba audiuit: *Tu nobis modo opi-  
tularis, tibi nos extremo & periculosissimo die  
opitulabimur.* Ita non modò beati sunt paupe-  
res, quoniam ipsorum est regnum calorum, sed  
etiam quoniam ad illud alios quoque pos-  
sunt promouere: immò & illi sunt beati,  
qui pecuniam, cibos, vestes, aliaque dant  
pauperibus, quia vsuram vberem atque  
honestam exercent. Nempe *terrena omnia,  
que seruando amittimus, largiendo seruamus.*  
ait D. Gregorius.

## §. V.

*Misericordes misericordiam consequi.*

Præclare id docet etiam D. Augustinus in  
hunc modum diuites alloquens: *Mundum  
præstat Deus pauperi, præstat & diuiti. Num-  
quid quia diues est, duos ventres impleturus est?  
Attendite, & videte, quoniam de datis Dei  
pauperes saturati dormiunt. Qui pascit vos, pa-  
scit illos per vos. Ergo non ametur pecunia, sed  
si iam*

S. Augu-  
stin. hom.  
13. lib. 50.  
Homilia.